



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum**

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In  
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim  
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

**Leonardelli, Bonaventura**

**Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739**

Casus LXVII. De irregularitate in dubio facti, & juris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41144**

## CASUS LXVII.

*De irregularitate in dubio facti, & juris.*

**E**Xortâ nuper nocturno tempore inter aliquot studiosos rixâ, in ea unus graviter vulneratus est, & paulò post mortuus. Alter leviter quidem, sed ex incuria neglecti vulneris superveniente spasmo & ipse intra aliquot dies extinctus est.

*QUÆR. I. An, & quando in dubio judicandus quis sit irregularis?*

*QUÆR. II. An quando plures quâ graviter, quâ leviter alterum vulnerant, sint omnes irregulares?*

*QUÆR. III. An irregularis censendus sit, qui alterum leviter vulnerat, sed ex incuria neglecti vulneris paulò post moritur?*

379

**A**Nte resolutionem Q. I. notandum est 1. Aliud esse posse dubium practicum, & aliud speculativum. Dubium practicum dicitur, quando quis in singulari dubitat, an hæc, & nunc aliquid sit licitum, vel illicitum; speculativum verò, quando in communi dubitatur. Quando dubium, est duntaxat speculativum, licitum est aliquando contrarium operari, quia potest adesse opposita cognitio practica propter aliquam circumstantiam, ut v. g. dubitans speculativè, an hæc res sit sua, potest practicè non dubitare, licere eam retinere, eò quòd

sit in possessione, & melior sit conditio possidentis.

Quando verò dubium est practicum, id non licet; nam ut voluntas honestè operetur, oportet intellectum non esse practicè dubium, sed judicare determinatè hæc, & nunc licere hanc operationem; quare qui dubitans practicè aliquid operatur, peccat, quia manifesto se exponit periculo admittendi illud peccatum; qui enim amat periculum, peribit in illo. *Eccles. 3.* sola que invincibilis ignorantia excusat à malitia actûs, cum sola illa causa sit involuntarii, qui autem dubitat,

bitat, non dicitur invincibiliter ignorare, ut patet: ergo,

notat Gasp. Hurtando de irregul. diff. 3. n. 10.

Notandum 2. aliud esse dubium juris, & aliud dubium facti. Dubium juris est, quod versatur circa ipsum jus; v. g. cum dubius es, an in jure ob tale delictum imposita sit irregularitas. Dubium facti, quod circa ipsum factum versatur, e. g. cum certus quidem es, tali facto annexam esse irregularitatem, sed dubitas, an illud commiseris; & siquidem ita dubites, ut intellectus omnino anceps hæreat, nullamque rationem probabilem habeat, per quam inclinet in aliquam partem, dubium nuncupatur negativum; secus, probabilitas dicitur, vel juxta alios dubium positivum.

Porro quaecumque dubium sit, sive juris, sive facti, tenetur dubitans competentem adhibere diligentiam ad indagandam rei veritatem, aliàs se exponeret manifesto periculo irregularitatis violandæ, ut cum Sanch. Palao aliisque notat Suarez de censur. D. 40. sect. 5. n. 12. Quod si præmissa debitâ diligentiam probabiles rationes suppetant, irregularitatem tali facto annexam non esse, vel te factum non commisisse, cui ipso jure imposita sit irregularitas, poteris te ab hac immunem, & liberum reputare, quia prudenter agis probabilem sequendo sententiam, nec æquum videtur, stante ea probabilitate, debere te poenæ subicere, ut  
R. P. Leonardelli Soc. Jesu.

Verum difficultas non levis est, 380 & controversia, an in dubio negativo de irregularitate, quando scilicet adhibitâ debitâ diligentiam nequis probabile formare judicium, quod tali facto irregularitas imposita sit, vel quod tale factum, cui illa annexa est, commiseris, debeas te tunc ut irregularem gerere, & reputare? Qua in re DD. varii variè opinantur; & Henricus quidem de irregul. c. 3. n. 3. & 4. & c. 14. ac 15. Hostiensis. Salas, Rebell. aliique censent in dubio sive juris, sive facti neminem antea sententiam Judicis habendum esse pro irregularem. Navar. verò cum aliis c. 27. affirmat in dicto dubio quemlibet reputandum esse irregularem in foro interno, non item in foro externo, cum Judex nequeat sine sufficienti ratione aliquem damnare. Alii autem id ipsum asserunt de utroque foro. Causa tantæ dissensionis ex diversis juribus ortum habet; nam Clemens III. c. ad audientiam de homicid. & Innoc. III. C. significasti eod. Statuerunt in dubio unumquemque censendum esse irregularem, eò quod in dubio tutior semper pars sit eligenda. Bonifacius verò VIII. C. is, qui de sentent. excommun. in 6. Statuit, vel tanquam indubitatum supponit, nullam irregularitatem incurri, Ggg quæ

quæ expresso jure non fuerit inducta; in dubio autem facti, vel juris irregularitas non est jure expresso inducta: ergo tunc non incurritur. Unde ad hæc Pontificia jura concilianda distinguunt DD, inter dubium juris, & facti, & inter dubium in casu homicidii, & dubium in aliis materiis extra homicidium, & pro ratione, & qualitate dubii discurrunt, & opinantur, ut alibi insinuatum est. His præmissis.

381 R. Ad Q. 1. In dubio juris, quo dubitas, an lata sit irregularitas, non es judicandus irregularis. Ita Suarez l. c. Sanch. l. 1. cap. 10. n. 42. Molina tr. 3. de justit. D. 67. n. 5. Palao D. 6. p. 3. Coninch D. 18. dub. 2. n. 11. Sayrus, Avila, Rebell. aliique. Ratio est, quia juxta *cap. is, qui citt.* irregularitas non incurritur, nisi sit in jure expressa: atqui in dubio juris, quando post diligentem inquisitionem dubitas, an in jure tali facto imposita sit irregularitas, non est hæc comparatione illius in jure expressa, cum ipsum jus sit dubium: ergo non incurritur.

Conf. 1. Nemo tenetur ad legis observantiam, nisi talis lex sit illi sufficienter promulgata: at tibi ita dubitanti lex irregularitatis non est sufficienter promulgata, hoc ipso quod tibi non constat, eam esse jure expres-

sam; imò qui post adhibitam sufficientem diligentiam ad rei veritatem indagendam, & ad dubium deponendum, nec illam invenire, nec dubium deponere potest, censetur ignorantia invincibili laborare: sed qui invincibiliter legem ignorat, non tenetur lege: ergo.

Conf. 2. Taliter dubitans in foro externo, si non constet de jure imponente irregularitatem, non damnatur tanquam irregularis, cum Judex juxta jus sententiam proferre debeat: ergo neque in foro conscientie damnandus est tanquam irregularis; cum mitius agatur in conscientie foro, quod est forum animæ, & misericordie, quam in foro externo, quod ad solam delicti punitionem tendit.

R. 2. In dubio facti homicidii, 382 quando scilicet dubitas, an tua actione, consilio, vel auxilio homicidium perpetraveris, anue verus fueris homicida, habendus, & judicandus es irregularis. Ita cum citt. AA. docent Navar, Covar. Azor, Valent. Salas, & alii, constatque id ex citt. *cap. significasti*, & *cap. ad audientiam*, ubi expressè deciditur in dubio facti homicidii abstinendum esse à celebratione, & sic dubitantem pro irregulari habendum esse; & quidem, ut cum aliis notat Sanch. pro utroque foro. Nec obstat, quod

quod irregularitas Statuatur in pœnam, & sic indigeat Judicis sententia; nam etsi statuatur in pœnam; est tamen talis pœna, quæ suapte natura non indiget aliqua Judicis sententia; atque adeo jus eam inducens ita statuere censeatur, ut ex ipso facto oriatur in utroque foro, uti colligitur ex cap. ad audientiam citt. de utroque fero loquente.

An autem in dubio facti etiam in aliis materiis extra casum homicidii idem sit dicendum, discrepant DD. Non pauci cum Panormit. Sylvest. Tabien. Vasq. Sayro, Covar. Valent. affirmant, idem asserendum esse de alio quocunque dubio facti etiam in aliis materiis, eò quod allata Pontificis ratio, quod scilicet in dubio tutior pars sit eligenda, æquè procedat in aliis materiis, ac in homicidio.

383 Nihilominus complures cum Suarez l. c. S. 6. Palao. l. c. Bonnac. l. c. Navar. cap. si quis autem n. 41. dist. 7. Coninch, Avila, Salas, Henriq. Filliuc. Sanch. aliisque docent probabilius extra dubium homicidii neminem esse irregularem censendum. Ratio est 1. quia juxta citt. cap. Ad audientiam, & cap. significasti, non incurritur irregularitas, nisi in casibus à jure expressis; in jure autem, excepto homicidio, nullibi est expressum, in dubio facti contrahi irregularitatem: ergo hæc non contrahitur; imò utrum in

aliis materiis præter homicidium inducta sit irregularitas, est dubium juris; in dubio autem juris non est quis censendus irregularis, si post adhibitam debitam diligentiam non elucescat veritas, ut dictum est supra.

2. Quia omnia jura clamant in dubio delicto reum esse absolvendum, regula favorabiliores 168. ff. de regul. juris, & regul. cum sunt, eodem tit. in 6. ubi, cum sunt jura partium obscura, reo favendum est potius, quàm auctori; auctore enim non probante, absolvendus est reus, Gloss. verb. cum sunt. quoties autem factum manet dubium, manet quoque delictum non probatum, atque adeo absolvendus est reus, quamvis altera pars sit æquè dubia; à qua proin regula non est recedendum absque juris textu expresso, qualis in solo dubio irregularitatis homicidii reperitur, non item in aliis materiis in ordine ad incurrendam irregularitatem.

Et hac ratione, ac distinctione inter hæc dubia putat Tambur. conciliari posse prædictos Pontifices, dicendo Clementem, & Innocentium novum jus condendo (antea enim non aderat aliud antiquum jus id decernens, teste Joan. Præposito q. 5. de irregul. dub. 8.) decernere in dubio facti homicidii hominem esse irregularem in utroque foro; Bonifacium verò eorum Successorem as-

G g g 2

lere

ferere hominem non esse in aliis dubiis irregularem, sed supponere esse irregularem in dubio facti homicidii; cum enim dicat, nullam irregularitatem incurri, nisi sit in jure expressa; in jure autem non sit expressa pro aliis dubiis in aliis materiis, sed solum per præfatos Pontifices pro dubio facti homicidii, idcirco supponit irregularitatem incurri in dubio facti homicidii, non autem in aliis dubiis in aliis materiis. Unde Principium illud in contrarium adductum, quod in dubio tutior pars sit eligenda, respondent Sanch. & Palao cum aliis citatis, intelligendum esse de consilio & decentia, non autem, semper observandum esse de præcepto, ipsūque Pontificem non eō niti tanquam principio necessariō obligante in omnibus materiis, sed ei tanquam optimo consilio innixum id decrevisse in materia homicidii ob specialem indecentiam, quam habet ad Ordines. Præterea principium illud, quod in dubiis tutius sit eligendum, intelligi debet de dubio practico, ut notant S. Antonin. 1. p. 1. 3. c. 10. §. 10. Sylvest. Navar. Henriq. Sanch. & alii, & tunc esse de præcepto, ut si practice dubites, an hęc, & nunc tenearis jejunare, teneris jejunare, dum id dubium non deponitur, aliàs actus fieret cum conscientia practice dubia.

Ex dictis inferunt Sanch. Palao, Bonac. & alii, ob mutilationem du-

biam te non debere irregularem reputare; quia mutilatio, esto disponat ad homicidium, non est tamen homicidium: cum ergo jura in solo dubio facti homicidii hanc irregularitatem Statuerint, non est pœna adeō rigida extendenda ad dubium facti de mutilatione.

Ad 2. Q. Vel plures ex condicto, & consilio alterum graviter vulnerant, vel absque conspiratione, & consilio, sed in rixa repentina inter eos orta? Si plures ex condicto, & consilio lethaliter alterum vulnerent, etsi vulneratus ex unius tantum vulnere moriatur, omnes sunt Rei homicidii, & consequenter irregulares; quia omnes proximè cooperati sunt ad homicidium se se concitando, illudque consulendo, ex qua concitatione, auxilio, & consilio secutum est homicidium, ut docet communis in cap. significasti de homicid. 384

Si verò plures absque conspiratione, & consilio in rixa alterum aggrediantur, & unus tantum lethale vulnus infligat, tunc si nullus cognoscatur, qui vulnus lethale inflixerit, omnes, qui de homicidio dubii sunt, irregulares efficiuntur juxta superius cit. jura. Quapropter Judex ignorans, quis illorum vulnus lethale inflixerit, omnes reputat homicidas, quia omnes rixando deliquerunt, esto non pœna ordinaria, sed arbitraria eos punire debeat, ut multis allegatis docet Covar. cit. Clement. Si furiosus. Si verò

verò certò constet, quis vulnus lethale inflixerit, hunc tantùm esse reum homicidii, & irregularem, docent Sayrus l. 7. cap. 4. n. 13. Hostiens. in C. significasti, Bonac. l. c. Covar. in Clem. si furiosus 2. p. §. 2. n. 3. Tambur, & alii, dummodo constet quismam vulnus lethale inflixerit, & simul constet, alios illud non intulisse; quia infligens vulnus lethale tenetur de homicidio, & non alius; reliqui enim tenentur de percussione, ut advertit Covar. ex textu in leg. cum Mela. §. sed etsi servum, ff. ad leg. Aquil. & in leg. si rixa, ff. de sicariis: cum ergo reliqui liberi sint ab homicidio, liberi etiam erunt ab irregularitate.

Contrarium tamen æquè probabiliter, vel probabilius defendunt, ac tenent Suarez D. 45. S. 3. n. 9. Palao l. c. Navarr. cap. 27. n. 224. Avila 7. p. D. 6. S. 3. dub. 3. Coninch. D. 17. dub. 8. n. 70. aliique cum Gloss. in Cap. si quatuor homines 23. q. 8. existimantes hos cooperatores, etsi nullum vulnus inflixerint lethale, irregulares tamen fore, eò quòd & ipsi suã præsentia auxiliium, & favorem occisori tribuerint, & occisum impederint, ne se defenderet, ac proinde omnes secundùm Canones judicandos esse reos homicidii, & irregulares; & licet secundùm jus civile non puniantur tales, ut homicidæ; benè tamen secundùm Statuta Canonum quoad pœnam

irregularitatis, uti colligitur ex citt. cap. si quatuor homines.

Ad 3. Q. si vulneratus vulnere non lethali ex Medici, aut Chirur-<sup>385</sup>gi imperitia, seu negligentia, vel ex propria incuria moriatur; vulnerantem irregularem effici, censent D. Anton. 3. p. tit. 28. c. 2. Navar. n. 223. Molina tr. 3. D. 32. Heniq. l. 14. cap. 14 n. 4. Avila l. c. dub. 5. concl. 2. Laym. l. 3. tr. 3. p. 3. cap. 10. aliique. Rationem dant, quia vulnus illud injustè illatum occasio fuit mortis alterius; quia si vulnus illatum non fuisset, mors non fuisset secuta; ideòque non sola chirurgi, aut vulnerati negligentia, sed simul etiam ipsa vulneratio mortis causa extitit.

Oppositam tamen sententiam rectius tuentur Suarez D. 45. sect. 6. Less. l. 2. de justit. c. 9. G. Hurtado de irregul. diffc. 8. n. 31. Coninch. D. 18. n. 70. & 76. Bonac. l. c. pun. 7. n. 16. Cajetan. Sotus, Sayrus, Reginald. Filliuc. Covar. & alii, quorum sententiam probabiliorē judicat Palao de censur. D. 6. p. 15. §. 5. Ratio est; quia tale vulnus leve non censetur causa proxima mortis, sed remota, & occasio tantùm, hæcque solùm remota: Ad incurrendam autem irregularitatem non sufficit quæcunque occasio mortis, sed oportet, eam proximam esse, ex qua mors sequatur; id,

Ggg 3 quod

quod colligitur ex *cap. exhibita de homicid.* & *cap. Studeat, 50. dist.* Ubi cum Presbyter equitatem Diaconum percussisset, hicque ex equo cecidisset, & fracta cervice interiisset, mandatur, examen institui, an Diaconus fuerit percussus ad mortem, & ex illa percussione obierit? & in hoc casu deciditur, fore irregularem; si verò constet, Diaconum non fuisse ad mortem percussum, injungitur Presbytero pœnitentia ad tempus. Ex quibus satis apparet, ex vulnere non lethali, esto occasionem morti præbeat, non contrahi irregularitatem. Unde & Avila adversarius, Henrig. & Laym. ajunt, si vulnus ita leve fuisset, ut facile, & exigua cura sanari potuisset, tunc vulneranti nullo modo, sed solum medicamento, atque extrinsecæ causæ adscribi.

Aliud tamen dicendum, ac tenendum esset, ut tenet communis cum citt. DD. si ex illo vulnere non lethali febris excitaretur, quæ vulneratum extingueret, vel aliud vulnus superveniret, ex cujus con-

junctione primum quoque vulnus ad mortem concurret, saltem ut citius succederet, vel si nemo adesset, qui curationem adhiberet, & ex vulnere aliàs non lethali lethale fieret; quia in his omnibus convincitur, primum vulnus causam esse mortis proximam, & ut cum aliis hîc notat Covar. causa causæ censetur etiam causa causati; Atque adeò in his casibus non evitari irregularitatem.

Quod si vulneratus vulnere non lethali semel convaluit, & postea in morbum recidit, quò extinctus est, non censetur causâ, sive occasione vulneris mortuus, & vulnerans ab irregularitate, aliisque obligationibus immunis erit, ut constat ex *l. qui occidit §. ultim. ff. ad leg. Aquil.* & *ex c. 2. de homicid.* & notant citt. AA. qui rectè monent, discernere, an vulnus lethale sit, vel non, & an ad mortem concurrerit, anue morbus planè per accidens, atque extrinsecus acciderit, hominè, que extinxerit, ad Medicos pertinere, quorum judicio standum est.

